

longe attenuata; superiora lanceolata, supra basi dilatata, ad 13 lin. longa ad 3 lin. lata, integra aut basin versus utroque latere dente uno alterove obsoleto munita. Cyma terminali majori, axillaribus multo minoribus; fructiferis densissimeconfertis subcapitatis, basi foliis duobus oppositis linearibus instructis. Bractæ oblongæ, ciliatæ, interdum subserratæ. Calycis tubus cum ovario connatus; limbus trifidus, post anthesin auctus, persistens: laciñiis inæqualibus, lato-ovatis vel suborbiculatis (majore ad $2\frac{1}{4}$ lin. longa ad 2 lin. lata, minore ad $1\frac{3}{4}$ lin. longa, $1\frac{1}{4}$ lin. lata), obtusis, margine argute dentatis, reticulato-venosis: venis lateralibus in dentes marginales abeuntibus. Fructus indehiscens, subcoriaceo-membranaceus, extus villosissimus, ad $1\frac{1}{2}$ lin. longus, apice lobis calycinis coronatus, intus 3-locularis: loculo 1 fertili monospermo, complanato, anguste marginato; 2 sterilibus cylindraceis inflatis, septo tenui disjunctis, facie ventrali superne celluloso-gibbosis: sulco profundo longitudinali inter gibberes; gibberibus validis obtusis. Embryo orthotropus: testa membranacea tenui; cotyledones crassiusculæ oblongo-ovatæ: radicula brevisupera.

A planta orientali mihi non visa differt lobis calycinis latioribus obtusis et caule extoto herbaceo; loculi fructus steriles superne celluloso-gibbosi, id quod in descriptionibus *D. orientalis* DC. frustra quæsivi; an nostra planta sit distincta species?


KOELPINIA DEFLEXA in. T. XIII. f. 3.

K. caule dichotome-ramoso; ramis erectis; capitu-
Nº IV. 1851.

lis in dichotomiis et secus ramos sessilibus, basi folio uno alterove capitulum longe superante munitis; involucri squamis imbricatis; acheniis apice longe et divaricatim bipartitis, retrorsum circinatim revolutis, latere interiori (i. e. superiori) aculeis rigidis hispidis.

Annua, glabra, glauca; radix tenuis, verticalis. Caulis 12 lin.— $3\frac{1}{2}$, poll. longus, a basi fere dichotome-ramosus: ramis rigidis, crassis, ancipitibus, stricte-erectis. Folia crassa, glaberrima, integerrima, linearilanceolata, basin versus latiora, nervo mediano sub-tus prominente in angulum rami excurrente. Capitula in dichotomiis et secus ramos sessilia, in apice ramorum pedicellata: pedunculo brevi crasso; omnia basi folio uno alterove foliis caulinis simile capitulumque longe excendente cincta. Involucri foliola erecta, imbricata, oblonga, brevia, obtusa, margine membranacea; in fructu immutata: etiam erecta, adpressa. Receptaculum nudum, epaleatum. Achenia in capitulo 6—8, crassa, striata, apice longe et divaricatim bipartita; omnia retrorsum circinatim revoluta, latere interiore (superiore) aculeis crassis patulis hamatis obsita.

Species distinctissima. Differt a K. linearis Pall. et K. sessili Boiss. jam acheniis deflexis nec incurvis, latere interiore nec exteriore (i. e. dorso) aculeatis, capitulis basi foliis involucratis; præterea recedit a priori caule foliisque crassioribus, capitulis sessilibus, acheniis longe divaricatim bifidis, involucri squamis imbricatis brevibus obtusis erectis; a posteriori caulis plerumque elongatis et acheniis conformibus nec dimorphis.



f. 1.



f. 2.


2a. 2b. 2c. 2d.



f. 3.



4.a.



f. 4.

L. 1. *Haplophyllum Kowalevskyi* m.
L. 2. *Dubusnia orientalis* D.D.
L. 3. *Koelpinia deflexa* m.
L. 4. *Statice (Acantholimon) Karelinskii* m.